DE

PARMENIDE

PLATONIS.

PARISIIS.— EX TYPIS E. THUNOT ET Ce.
26, via dicta Racine.

DE PARMENIDE PLATONIS.

DISPUTATIO ACADEMICA.

SCRIPSIT

A. HATZFELD,

IN PARISIENSI LITTERARUM FACULTATE AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS.

Quid specimen profundissimæ Platonis philosophiæ cupit, is legat non interpretes etiam veteres..., sed ipsum Parmenidem..., qui de Uno et Ente, id est Deo, admiranda ratiocinatur.

LEIBNITIUS.

PARISIIS,
APUD JOUBERT, BIBLIOPOLAM,
VIA DICTA DES GRÈS, 14.

1850

DE

PARMENIDE

PLATONIS.

I

De quibusdam interpretum opinionibus.

Apud Leibnitium legere est :

« Qui specimen profondissimæ Platonis philo-
» sophiæ cupit, is legat non interpretes etiam
» veteres, magnam partem in turgidum ampul-
» losumque sermonem ineptientes, sed *ipsum*
» *Parmenidem* et Timæum.

» Quorum ille de Uno et Ente, id est Deo,
» (nam nulla creatura est Ens, sed entia), admi-
» randa ratiocinatur; hic naturas corporum solo
» motu et figura explicat, quod hodie tantopere

» novis nostris philosophis merito sane proba-
» tur (1). »

His verbis Leibnitius significat tria se genera sententiarum, quæ de Parmenide Platonico propositæ sunt, abjicere ac repudiare.

Alii enim, de libri integritate atque auctoritate nequaquam ancipites, certamque hujus operis significationem esse rati, Parmenidem illustrare conati sunt; at, in Platone interpretando nimis ingeniosi, sua ipsorum placita illi tribuere non dubitaverunt, ita ut ejus doctrinam mutarent et corrumperent (2). A quibus longe discedit Leibnitius quum nos hortatur ut « non interpretes, magnam partem ineptientes, sed ipsum Parmenidem legamus. »

---

(1) Leibnitius (Edit. Dutens), tom. IV, pars prima, p. 77; tom. V, p. 368, 460.

(2) Plutarchus et Syrianus (*apud Proclum*), Plotinus (*Ennead.*, III, IV), Jamblichus (*De myster. Ægypt.*, VIII), Proclus (*Theolog. Platon.*, III), Damascius (*De princip.*), adeo non Parmenidem exitu carentem arbitrati sunt, ut in hoc libro de tota rerum universitate quæstionem agitari censerent; sed Platonicum opus, præjudicata opinione, ad mysticam interpretationem verterunt, quo facilius suam ipsi doctrinam, nempe mysticam ὑποστασέων triadem, magni nominis auctoritate tuerentur.

Nec non fuerunt apud eos qui græcas litteras, Romano imperio everso, instaurare cœperunt, qui hanc opinionem sequerentur. Marsilius enim Ficinus scripsit (Parmenid. præfat.) « Platonem in Parmenide omnem complexum esse theologiam. » Bessario autem, « omnia Dionysii Areopagitæ decreta in Parmenide explicata esse. »

Aliis visum Parmenidem non esse inter dogmaticos Platonis libros numerandum, at in eo dialecticam tantummodo exercitationem contineri, qua nihil quidquam ad liquidum perduceretur, nec certam ad conclusionem venirent institutæ disquisitiones; sed, quibus in disserendo artibus, quam captiosa argumentatione uti Eleates consuevissent, per exemplum ostenderetur (1). Leibnitius autem, in Parmenide, « specimen profundissimæ Platonis philosophiæ » quærendum esse nos monet.

Alii, denique, Platonis Parmenidem (2), propter obscuritatem disputationis, a Platone scriptum esse negaverunt (3); aut, saltem, quidquid in hoc libro disputatur, pro vanis et fallacibus argutiis duxere. Nec Parmenidem tantum, sed et alios dialogos attulerunt, in quibus inanes, neque ullum ad finem propositas disquisitiones Plato-

---

(1) Fuisse apud veteres qui summum Parmenidis finem in dialectico artificio ponerent, a Proclo accepimus (*Commentar. in Parmenid.*, tom. IV, p. 21, 22, Ed. Cousin). Quæ quidem interpretatio ad recentiores transiit, inter quos Joannes Picus Mirandula (Edit. Bononian., *a*, 1446, p. 2), ut multos alios qui superiore sæculo vixerunt, omittamus.

(2) Conf. Cic. De divinat., I, 37.

« Ut in Phædro Platonis. »

(3) Socherus, de Platon. Script., p. 278, sqq., apud Stallbaum (Patonis Parmenides, prolegom., lib. IV, p. 331, sqq.).

nem congessisse aiunt, nebulisque volentem sese involvisse, et absurdas in concatenationem inextricabilem sententias implicuisse. Quem igitur Græcia sophistarum insectatorem vidit, et commentitiorum philosophorum irrisorem, his verbis calumniantur: nempe eum, dum sophistas ipsorum telis confoderet, in hoc vitium, quod *sophistice* apud Graios dicebatur, incidisse.

Quum non vacaret recensere omnes Platonis dialogos, et culpa singulos eximere, Parmenidem, præ cæteris dialogis spinosum atque argutum elegimus, in quo apertissime hæc accusatio, quam vana sit, ostenderetur.

Neque hic quæritur an acute Plato nonnunquam disseruerit, et sibi aliquid Graii ingenii, vernalisque acuminis desumpserit: quem enim inter Græcos scriptorem non acute dixisse inveniemus? Atqui nullam exstitisse splendidis uberiorem ingeniis gentem perspicuum est; sed, vacua ne ac nugatoria arte Plato, quæ summa reverentia digna sunt, in lusum verterit, et humanam, Dei munus, rationem aspernatus, contrariarum invicem sententiarum propugnator, hoc tantum in scribendo quæsierit, ut scitum se et exercitatum in disserendi arte gladiatorem ostentaret.

Equidem, in Parmenide inspiciendo diu commoratus, putavi eum non tam obscurum dicendum esse, quam arduum legenti, primoque adspectu jejunum, et propter acutissimam, altissimamque disquisitionem ingratissimum. Quum autem animus in spinosa cito argumentatione defatigetur et hebescat, hæc est inprimis orta ex tædio inconsiderantia, quæ obscuritatem pariat.

In hoc igitur dialogo, modo eum diligentissime pervolverimus, doctam, ni fallor, rerum dispositionem, et cum cæteris Platonis operibus maxime convenientem, progressionemque disserendi certam inveniemus; nec Plato in hac disquisitione perspicuas tantum conclusiones aperiet, sed et admiranda, ut ait Leibnitius « de Uno et Ente, id est Deo, » ratiocinabitur.

II

De Eleaticis, Ionicis et Megaricis philosophis quos in Sophista confutavit Plato.

Fingit Plato, in Parmenidis principio, sermonem olim inter Zenonem, Socratem atque Parmenidem *de metaphysicis* fuisse, quem Cephalus ex Antiphonte quodam accepit, qui Pythodoro, Zenonis Eleatæ amico, familiariter utebatur (1).

Nempe venisse aliquando Parmenidem ac Zenonem ad magna Panathenæa, senem alterum ac venerando adspectu, alterum in flore juventæ (2).

Hic Zenonem, præsente Socrate adhuc adolescentulo, scriptum a se librum recitavisse, quo proferret hanc sententiam :

---

(1) Plat., *Parmenid.*, p. 126, 127, *a*, *b*.

(2) Ibid., p. 127, *c*, *d*.

« Quidquid vaga et mutabili ratione labatur, nec semper unum et idem ac sui simile sit, atque omnino simplex et individuum, non mente comprehendi neque unquam esse, revera, posse (1).

Quibus auditis, quum Socrates, de proposita a Zenone doctrina, disputationem instituat (2), in Parmenide de reconditissima philosophia quæstio est. Illud enim agitur : quomodo definietur quod semper est, neque ullum habet ortum, quomodo autem quod gignitur, nec sibi constat; quorum alterum *unum* semper atque idem est, alterum *diversum* ac mutabile, ita ut nunquam *esse* videatur.

Hic igitur, in quæstione una, summa rerum universa inspicienda proponitur : quid *sit* in tota rerum universitate, et intelligentia comprehendi possit? an quod *unum* est omnia in se complectatur, aut nihil sit nisi quod *multiplex*, aut, denique, nihil nisi *multiplex* una atque *unum*, in rerum natura, appareat.

Quæ quæstio tam magni momenti est, ut sit usque ad nostros dies pervecta, et ab antiquis

---

(1) Plat., *Parmenid.*, p. 127, *e*, p. 128.
(2) Ibid., p. 129, sqq.

philosophis de iisdem disputatum sit quæ hodie mutatis apud nos nominibus disputantur.

Quod enim apud veteres *unum* philosophice dicebatur, apud nos hodie *perfectum* et absolute infinitum dicitur; et his verbis Deus ipse significatur. Quod autem *imperfectum* vocamus, res videlicet creatas, et quæcumque in se causam existendi non habent, id veteres *multiplex* dixere (1).

Quos nunc corporeæ naturæ propugnatores sese profitentes audire est, hi olim, quod multiplex et diversum, solum rebus et scitis fundamentum supponebant. Qui Deum, et partem nostri meliorem, animum, divinæ ut ita dicam auræ particulam, quanquam sine corpore, sine figura, esse agnoscunt, hi olim unitatis fautores dicebantur.

Quemadmodum autem fuerunt apud nos qui in Deo omnia esse ac vivere ac moveri, nec quidquam ab Deo sejunctum existere putarent, sic apud veteres quidam philosophi, nihil nisi unitatem in rebus existere arbitrati sunt, et nequaquam existere quod multiplex dicitur.

Res igitur præsens antiquis sub nominibus agitur, nec disquisitio otiosa et inutilis, sed inspectione dignissima videtur.

De quo id primum consideremus, duo esse apud Platonem disputationem genera : alteris

enim confutat adversarios et alienas demolitur opiniones, nihil tamen ipse in locum sufficere videtur (1). Alteris quid ipse sentiat ultro et aperte exponit, scientiamque, quam disjecisse videbatur, reficit denuo ac coagmentat (2). Prioris autem generis esse Parmenidem, satis constat ex ipsa sermonis forma et specie (3); quem igitur aut non omnino explicari et illustrari posse agnoscendum est, aut in eo Platonem cuncta ex ordine ceterorum philosophorum scita, de proposita quæstione, et notas opiniones exponere, et argumentatione destruere.

Nunc autem, proferentes ad tempus Parmenidis ipsius considerationem, præjudicatione quærere aggrediemur quid de hac re ceteri olim philosophi, quid deinde ipse Plato censuerit.

Quæ fuerit Eleaticorum doctrina nos docet ipse Parmenides, cujus nomine Plato sermonem hunc suum inscripsit. His enim versibus, apud Simplicium (4), sententiam suam expressit :

---

(1) Conf. Sophistæ, Theæteti, Philæbi argumentum.
(2) Ut in Republica, in Phædone, in Gorgia.
(3) Loquentes enim ipsi inducuntur Zeno ac Parmenides, Eleatici.
(4) Simplicius (in Physic.).

. . . . . Οὐ γὰρ φατὸν οὐδὲ νοητόν
Ἔστιν ὅπως οὐκ ἔστι..., κ. τ. λ.

Conf. Platon, Soph., p. 237, 258. Aristote, Met. XIII, 2, p. 761, *b*.

Nec dici ore potest, nostra neċ mente revolvi
Quod nihil est. . . . .
Nunquam ergo, aut semper, de quo nunc dicimus, ens est;
Ex nihiloque nihil fieri sententia perstat.
. . . .
Est et idem per seque manens ens semper eodem,
. . . .
Si quid namque deest, opus est ens omne deesse (1).

Nec licet, quanquam ex carmine quod scripsit *de natura* paucissima fragmenta supersint, ejus placita in dubium venire, propter testimoniorum auctoritatem, quæ, a Platone (2) et Aristotele (3), aliisque scriptoribus accepta (4), Eleaticam doctrinam collustrant.

Scilicet, nihil, nisi quod unum admodum atque integrum est, existere; quod autem multiplex, nequaquam nec ullum in modum esse, utpote umbræ simile, atque inani simulacro.

Unde facile percipi potest Parmenidem ac Zenonem Physicis præcipue adversatos esse, quorum doctrinam evertere vellent. Negabat enim Heraclitus, præter ea quæ cernuntur oculis et

---

(1) Bessario hos versus ex græco in latinum vertit (adv. Platon. Calumn. II, 11).

(2) Plat. (Sophist. Theætet. Euthyd.)

(3) Aristot. (Metaph. Physic. Elench. Sophist.)

(4) Plotin. (Ennead.) Proclus (Theol. Platon. in Parmenid.).

veluti continua agitatione fluctuari videntur, quidquam in rerum natura existere. Nihil non mobile ac diversum esse arbitrabatur, nec ullam rem revera unam et solidam, simplicem, individuamque agnoscebat (1). Eleatici autem summo studio egerunt ut, omni relicta rerum sub sensus subjectarum consideratione, hanc varietatem ac multitudinem, Ionicis probatam philosophis, tollerent.

Medii inter utrosque Megarici aderant, quorum principem fuisse Euclidem accepimus, et, Eleaticorum exemplo, physicorum placita confutasse; non ita tamen ut, quam tuebatur Entis unitatem ac simplicitatem, hanc solam agnosceret, et omne sensuum judicium abjiceret. At *Ideas* posuisse, sive æternas rerum species, quæ per se exstarent, omnemque complecterentur essentiam, nec cum corporibus, sed tantummodo inter ipsas haberent conjunctionem. Ergo, quædam una et perfecta, quædam et multigena diversaque existere : alterum vero ab altero omnino sejunctum vivere, nec inter res mutabiles, perpetuæ vicissitudini subjectas, et ea quæ vere sunt

---

(1) Conf. Plat. (Sophist.), Ibid (Theæt.), Aristot. (Metaph.).

ullam inesse communicationem (1). Sic, incertam quamdam opinionis speciem, ac veluti umbram, sensibus relinqui, dempto tamen veritatis judicio, et omni cum ratione commercio erepto (2).

At si res ipsas, non rerum notitiam consideremus, vitam ac generationem a Megaricis omnino aboleri, quum ponantur principia rerum veluti immota, rigida, nec ulla cum rebus communione:

Ut ait Aristoteles (in metaphysicis) (3):

« Sunt quidam, ut Megarici, qui dicunt non » esse potentiam sine actu, scilicet eum qui non » ædificat, ædificare non posse; sed posse ædi- » ficantem, quo tempore ædificat; similiter quo- » que de ceteris.

» Inde quam absurda sequantur facile percipi » potest. Patet namque quod nemo ædificator » erit si non ædificat, nam posse ædificare, ædi- » ficatoris proprium est.

» Similiter autem et de aliis artibus : nemini » suppetit ars quam non didicit et accepit ; ne-

---

(1) Conf. Aristot. (Metaph. XIV, 4), Diog. Laert. (II, 106), Plat. (Sophist. passim.).

(2) Aristocles (apud Euseb. præpar. Evangelici XIV, 17), Aristot. (De interp. IX, 10, Elench. Sophist. XX, 10).

(3) Aristot. Metaph. VIII, 3.

» minem deficit ars quam non amisit aliquando....
» Quomodo qui cessaverit artifex, jam non ha-
» bebit artem, sin autem rursus agere incipiet,
» artem subito recuperabit?. . . . .

» Si igitur cæcus est qui non videt, quanquam
» natura visum habeat, iidem sæpius in eodem
» die cæci et surdi erunt.

» Quum autem non sit actus sine potentia
» agendi, non fieri unquam poterit quod non fit
» præsenti tempore. Hæc igitur doctrina et mo-
» tum et generationem perimit : qui stat, semper
» stabit; qui sedet, sedebit æternum; si enim
» sedet, non surget...... Unde manifestum est
» aliud esse potentiam, aliud actum (1). »

Communi igitur vitio quanquam dissimiles, Eleatici, Ionici, Megaricique laborabant, quum justos intra fines non continerent quam sententiam amplectebantur.

Quos omnes ut confutaret, in Sophista Plato probavit quæ sequuntur :

Quodque simplex et unum et individuum, quodque multiplex et generatum dicimus, in rebus existere (2).

(1) Conf. Aristot. (De interp IX, 10. Elench. Sophist. XX, 10.) Ibid. (De gener. et corrupt. II, 11.)

(2) Plat. Sophist., p. 289, sqq.

Non ea sejuncta, sed necessario conjuncta esse, nec posse alterutrum nisi cum altero misceatur, vivere (1).

Fore tamen ut ambo corrumpantur, si omnimodo inter se et confuse conjuncta erint, et sine lege mixta, vanescant (2).

Porro tota intra fines unius sententiæ quæstio hic proposita concluditur : falsam Eleaticorum, Heracliticorum, Megaricorum opinionem esse, quia simplex et absoluta, nec ullam circumscriptionem aut distinctionem admittit.

Quorum sententias, quatenus nulla admissa inflexione proponuntur, negat se accepturum Plato, sed, ut in se veritatem habeant, ait restrictius ponendas.

Itaque in sophista impugnavit eos qui dicebant quidquid quodam modo *non est*, nequaquam existere posse, his verbis significantes nihil, nisi quod absolute, totoque sensu est, existere, at quidquid quavis ex parte quemvis existendi defectum patiatur, nullum in modum existendi, vel minime, particeps esse (3). Plato autem contendit

---

(1) Plat. Sophist., p. 256, 257.
(2) Sophist., p. 254. sqq.
(3) Ibid., p. 241, sqq.

hanc opinionem dialectice forsan, non re et facto veram stare. Quæ quum magnifice primo dici videatur, «*quæ non sunt, pro nihilo esse*,» considerata minus probatur.

Natura enim rerum, atque ipsa clamat veritas, quodam modo non posse adduci ut, præter id quod ex omni parte absolutissimum est, nihil reliquum supersit. At nisi fictas et inanes species persequaris, postquam esse agnoveris et perfectissima vita vivere quod simplex et unum et absolutum est, res tamen infra Deum alias, alium in modum existendi participes esse dicemus, et propria saltem, si minus perfecta, vita vivere (1).

Hisce igitur verbis Plato, quæ meminisse in Parmenide inspiciendo erit, apud sophistam concludit.

« Quod sequitur pulchrum vere ac difficile est:
» cæteris omissis, sequi posse et confutare eos
» qui contendunt quod diversum ac mutabile di-
» cimus unum tamen atque idem ac sui simile
» esse, quod autem unum atque idem, diversum
» rursus et instabile. Dum enim hanc sententiam,
» quodam sensu veram, toto sensu affirmant, so-

---

(1) Plat. Sophist., p. 259, 260, 261.

» phisticam et fallacem efficiunt. Qui autem, ver-
» borum artifices, quod magnum est parvum esse,
» quod sui simile diversum ostendunt, et puerili
» arte orationem ex omni parte sibi dissentientem
» afferunt, hos non philosophos esse, sed vere
» indoctos et imperitos dico (1). »

Quibus præcognitis, facilius in hac disquisitione nostra cursum regemus.

---

(1) Conf. Plat. Sophist. (p. 259).

« Ἐκεῖνο δ' ἤδη καὶ χαλεπὸν ἅμα καὶ καλόν, κ. τ. λ. »

III

Pars prior Parmenidis, de Platonica idearum doctrina, enarratur.

Pars prior Parmenidis, ut supra dictum est, Zenonem ac Parmenidem, Eleaticos, cum Socrate colloquentes ostendit : qui quidem nihil putaverunt esse quod oriatur et intereat, idque solum existere quod semper tale sit, qualem *Ideam* Plato appellat (1).

Postquam librum Socrates, a Zenone recitatum, exaudiit, quo *non multa esse* affirmatur, Zenonem a Parmenide magistro minime dissentientem agnoscit, quippe qui *omnia unum esse* dixerit; tunc de Zenonis sententia controversias movere aggreditur (2).

Quam quidem, de rebus corporeis, quæ gignun-

---

(1) Plat. *Parmenid.*, p. 126, 127, 128.
(2) Ibid., p. 128.

tur, mutanturque et intereunt, de materia, forsan concedet Socrates; sed quærit deinde anne de re stabili et immutabili idem jure dicere liceat (1). Contenderat Zenò, si ea quæ sunt multa esse statuantur, sequi inde ut eadem et similia et dissimilia videantur, quæ sententia absurdissima est. Socrates autem rebus corporeis et sub sensus cadentibus contraria tribui posse neque miratur, neque negat; sed majoris momenti quæstionem futuram esse arbitratur, si ad *Ideas* transeat (2).

Quidquid enim generatum atque ortum dicimus, simulacrum forsan et imaginem esse alicujus æterni, divini quodammodo particeps exemplaris. *Ideam* igitur, in se unam, individuam ac simplicem esse, divisam tamen ac partitam in rebus quæ gignuntur et speciem æternitatis imitantur, videri; quemadmodum sol, ipse integer et incorruptus, semper idem ac sui similis, lucem suam per omnes terrarum regiones diffundit, et quasi sui particulam singulis locis largitur (3).

Scilicet, hunc in modum verba facit Socrates:

---

(1) Plat. *Parmenid.*, p. 129.
(2) Ibid., p. 129, 130.
(3) Plat., *Parmenid.*, p. 129, 130.

« Nonne censes esse per se ipsam quamdam » speciem similitudinis, et rursùs quod per se sit » dissimile existere; utriusque in communionem » et me, et te, et reliqua, quæ multa appellamus, venire; et ea quidem quæ similitudinis » participant, similia, quæ dissimilitudinis, dissimilia appellari. Fieri igitur posse ut una » eadem que res, utpote similitudinis pariter ac » dissimilitudinis particeps, uno eodemque tempore similis et dissimilis dicatur. Hoc autem » mirum admodum fore si quid in similitudinis » specie, spectata in se, dissimile inveniatur, ac » vicissim, quod per se dissimile est, similitudinis » particeps appareat.

» Eamdem et unitatis et multitudinis rationem » habendam esse (1). »

His verbis perspicuum est Platonicam a Socrate sententiam induci : Non posse per se existere quæ in hoc mundo nascuntur, vivunt ac pereunt, Idearum autem nempe Dei, participare quæquæ creata sunt.

Quod igitur unum per se et immutabile est, quamvis natura sua absolutum, tamen id esse ut

(1) Plat. *Parmenid.*, p. 129, sqq.

aliquid diversitatis in se admittat: nisi autem hoc concedatur (licet in maximas difficultates hæc sententia veniat, qua pugnantia inter se et contraria statuere necessitate cogimur), nec posse hominem, nec terrarum orbem, nec, præter Deum, ullam rem aut existere, aut mente comprehendi (1).

Hoc posito quod sequitur videndum est; Platonem adeo non fugit multas de ipsius sententia dubitationes moveri posse, ut quidquid adversus *Idearum* doctrinam objectum unquam fuerit, ipse præmonstrare audeat, et Parmenidem inducat contra ipsius placita graviter disserentem.

Tria sunt genera dubitationem, quas, ab ipso Platone excogitatas, afferat in disputationem Parmenides :

Primum enim in ambiguo esse quarum rerum *Ideæ* ponendæ sint (2), quæ quæstio ad eos transvecta, qui græcas litteras apud recentiores instauravere, longam et pervicacem inter *Scholasticos* philosophos controversiam movit.

Deinde, incertum esse quonam vinculo *Ideæ*

---

(1) Conf. Plat., in Republic., lib. VI, VII. Ibid., in Theætet., passim. Ibid., in Philœb., passim. Ibid., in Sophist., passim., etc.

(2) Plat. *Parmenid.*, p. 130, sqq. De hoc, conf. Aristot. (Met. 12, 242, I, 30, VII, p. 169.) Plat. (Republic., Tim., Phœdon.)

cum rebus creatis conjungantur, nec facile percipi posse ideam totam in se contineri, et eodem tempore in aliis rebus versari. Quod et ab Aristotele Platoni objicietur (1).

Denique non posse species illas rerum, per se unas et immutabiles, quales a Socrate positæ sint, humana mente comprehendi, quæ, quum non perfecta et absoluta sit, nihil perfectum neque absolutum intelligere potest (2).

Hic fingit Plato longam a Parmenide disputationem iniri, qua ostendere videtur de hoc, quod unum dicitur, de hoc etiam, quod multiplex, sententiam quamlibet æque admitti ac redargui posse.

Sed revera Parmenides, iisdem quibus Eleatæ adversus adversarios uti consuevissent disserendi artibus, suam ipse doctrinam refellens atque impugnans inducitur (3).

Quæ licet argutissima disquisitio sit, totam sibi constare orationem, et ex omni parte secum ipsam consentire, videlicet claram ac dilucidam fieri posse forsan hic locus ex ipso Parmenide

---

(1) Aristot., Metaph., passim. De hoc, conf. Plat. (Phœdon.)
(2) Plat., *Parmenid.*, p. 133, 134. Ibid., *Republic.*, lib. VI, VII. Ibid., *Meno*, passim.
(3) Plat. *Parmenid.*, p. 137, sqq.

nostro excerptus indicabit : quem, si quum cum priori explanatione contulerimus, Sophistæ argumento plane concordare, et expeditiorem ad intelligendum Parmenidem aditum aperire, constabit.

Nempe scripsit Plato in medio Parmenide :

« Quum dicimus hic aliquid non esse, significamus ne id sensu quodam esse, sensu autem » quodam alio non esse? An his verbis significamus id quod non est absolute et omnino non » esse, nec ullo modo existendi esse particeps? » Ita est. Hic nihil ab sensu secatur aut stringitur (1). »

Unde patet, non easdem esse omnes, quæ in Parmenide proponuntur, opiniones : alias enim absolute, alias restrictim proferri.

Quod nisi attenderis, jam non poterisvarias positiones dispicere et segregare : putabis Platonem semper in eadem revolvi, nihil per subtilissimam argumentationem profici, nullum esse disputationis exitum.

Contra autem si verum positionis cujusque

---

(1) Plat. *Parmenid.*, p. 163, *c*, *d* :

« Πότερον οὖν, ὅταν φῶμεν μὴ εἶναι τι, πῶς οὐκ εἶναι φαμὲν αὐτὸ, πῶς δὲ εἶναι; ἢ τοῦτο τὸ μὴ ἔστι, λεγόμενον, ἁπλῶς σημαίνει ὅτι οὐδαμῶς ουδαμῆ ἐστιν, οὐδέ πη μετέχει οὐσίας τόγε μὴ ὄν; ἁπλούστατα μὲν οὖν. Οὔτε ἄρα δύναιτο εἶναι ἂν τὸ μὴ ὄν, οὔτε ἄλλως οὐδαμῶς οὐσίας μετέχειν. »

sensum apprime interpretabere, omnia in Parmenide scienter ordinata intelliges. Nempe, tres Eleaticorum, Heracliticorum, Megaricorum opiniones, sicut in Sophista et in Philæbo, singulas vicissim impugnari et refelli, ita ut clarum et perspicuum sit solam Platonis sententiam veram ac probabilem esse.

IV

Explicantur variæ Parmenidis de uno et multiplice sumptiones.

Venimus ad posteriorem Parmenidis partem, et propositas *de uno* dialecticas sumptiones.

Hæc autem disputatio duas partes habet, quarum priore quid futurum *si unum sit*, investigatur, posteriore, quid, *si unum non sit* (1).

PARS PRIOR.

I

POSITIO PRIMA.

« A me ipso exordiar, meaque sumptione, ait » Parmenides, qua *unum ipsum* pono (2). »

---

(1) Plat. *Parmenid.*, p. 137, *c*, *d*.
(2) Ibid.

Prima igitur a Parmenide proponitur Eleatica de rerum natura sententia :

Quod unum est, absolute et omnino unum, simplex, individuum, nihil aliud in se quam unitatem admittere, repudiata omni diversitate; ita ut nihil sit quo terminari aut finiri possit, nec in eo sit quidquam præter ipsum (1).

Ea est inenarrabilis (nam verbo terminetur et vanescat) unitas, primaque Alexandrinorum philosophorum hypostasis, quam nec dicere, nec ratione comprehendere fas sit.

Quam adversus absurdam opinionem multa hic a Platone conscripta evolvit Parmenides.

Ostenditur quod absolute unum intelligunt, nulla alia re quam unitate ipsa terminatum, rationis admodum expers esse; si enim cogitari id velint, hinc saltem aliquid novum præter unitatem tribui et addici necesse est, nempe hanc cadendi in intellectum hominis datam facultatem, qua duplex ut ita dicam et multigenum fit quod unum significabatur (2).

Fatendum igitur, si quis orationem suam sibi constare studet, nec sensu, nec opinione, nec

---

(1) Plat. *Parmenid.*, p. 163. *c*, *d*.
(2) Ibid., p. 139, *d*, p. 140, *a*, *b*.

scientia posse capi, nec esse, nec vivere posse quod in se nullum modum nec terminum admittat, quo possit definiri.

Huc adacta Eleaticorum opinio (1).

II

POSITIO SECUNDA.

Quærendum igitur quid vere esse debeat quod unum dicitur.

Cui concedendum et attribuendum constat quæquæ ad existendum requirat (2), et necesse est aliquam diversitatem contineat (3), et in eo contraria conjuncta sint.

Sit igitur et unum et multiplex (4); et in se ipso et extra se ipsum (5); et immobile, quatenus in se ipso erit, et mobile, quatenus ex se ipso egredietur (6) et in mentem cadet.

Sic diversum una atque idem, hæc licet con-

(1) Plat. *Parmenid.*, p. 142, *a*, *b*.
(2) Ibid., p. 142, *c*, *d*.
(3) Ibid., p. 143, *a*, *b*.
(4) Ibid., p. 145, *a*, *b*, *c*.
(5) Ibid., p. 145, *d*, *e*.
(6) Ibid., p. 146, *a*, *b*, *c*.

traria sint (1), videbitur, et rationis jam non expers, et esse et intelligi poterit, et certo nomine appellari (2).

III

POSITIO TERTIA.

Hic autem aliquid objiciendum occurrit.

Quod necesse esse probavimus, quomodo fieri potest, videlicet quod unum et individuum dicitur contraria in se conjuncta admittere (3). Quod enim contrarium, nonne excludit et rejicit contrarium (4).

Hoc posito, rem Plato fusius argumentatione enodat : responsio quidem haud difficilis.

Si quid unum ac multiplex eodem temporis puncto esse non licet, fas erit quod unum deinde multiplex evadere, ex immobili, mobile fieri, ex eodem, diversum, ordine ad vicissim (5).

Sic, hæc opinio quæ sibi repugnare videbatur, elucet tandem, fitque perspicua. Nempe quod

---

(1) Plat., *Parmenid.*, p. 146, *d*, *e*, p. 147.
(2) Ibid., p. 155, 156, *a*.
(3) Ibid., p 156, *b*.
(4) Ibid., p. 156, *c*, *d*, *e*.
(5) Ibid., p. 156.

modo unum erat, modo multiplex, quod multiplex, modo unum evadit, et omnia labentibus sæculis mutantur (1).

Hoc conclusione reperit Plato, unitatem et unam et multiplicem esse, posse existere una duo contraria, quum alterum in alterius naturam perpetuo convertatur (2).

IV

POSITIO QUARTA.

Hinc, ut ratio disserendi præcipiebat, novum hunc solvendum nodum proponit, Platonis interpres, Parmenides.

Quum necesse sit conjuncta quod unum, quodque multiplex existere, nec posse alterutrum nisi cum altero misceatur intelligentia comprehendi, quærendum est quem in modum ambo conveniant.

Quid patietur quod est diversum, si una cum hoc (3) quod unum est, existat?

---

(1) Plat., *Parmenid.*, p. 157, *a*, *b*.
(2) Ibid., p. 157, *c*.
(3) Ibid., p. 157, *d*, *e*.

Supervacaneum est præmonere hanc, de qua nunc agetur, unitatem, non unitatem absolute unam Parmenidis esse, quoniam hic ponitur quod multiplex cum ipsa unitate conjunctum.

Quod *unum* dicitur, habendum est quale id Plato definiit ac circumscripsit, aliquam in se diversitatem admittere.

Hic autem duas positiones inspicere est.

Altera enim, quod unum est, quodque diversum, non tantum una existere, sed mutuo commercio conjungi, et commisceri.

Altera, ommino disjuncta stare, quod Megaricis probatum, ut supra dictum est.

Porro priorem, quæ ab ipso probatur, positionem considerat Plato. Quærit enim, ut ipsius verba usurpem, quid patiatur quod multiplex dicimus, ubi cum unitate copulatum est (1).

Quod facile pernoscere est : eadem enim, quod unum, quodque diversum, mutata vice patientur. Quod multiplex, unitatis particeps, id est unum quadam ex parte, fiet; at rursus, ex uno multiplex quovis modo, quod unum, evadet. Diversa quæque, una et multigena, mo-

(1) Plat., *Parmenid.*, p. 158, *a*, *b*, *c*, *d*.

bilia necnon immobilia, eadem ac diversa, omnia in se contraria, et inter se repugnantia conjungent (1).

V

POSITIO QUINTA.

Hinc, posteriorem arripit positionem Plato, in qua fingitur quod unum est quodque multiplex existere, sed alterum ab altero omnino sejunctum.

Postquam enim quæsivit, quid alterum cum altero mixtum pateretur, nunc aptissime rogitat annon de hoc quod diversum est aliter fieri possit, etiamsi concedatur quod unum et individuum est existere (2).

Nam longe alia res est, si ambo sejuncta, et omni commercio carentia ponantur : nec satis est utrumque existere, sed oportet ea posse conjungi, commisceri, copulari, nequaquam autem, sicut apud Megaricos, separari.

Hic igitur, quemadmodum in Sophista compro-

(1) Plat., *Parmenid.*, p. 159, *a*, *b*.
(2) Ibid., p. 159, *c*, *d*.

batur optime, falsam atque absurdam Megaricis opinionem esse.

Si fingas quod multiplex omnino solum et sejunctum existere, ad id adigeris ut neges esse quod multiplex vocas, et in Eleaticorum insipientiam revolvaris. Quod enim omni parte multiplex, ac diversum, ac mobile sit quomodo possis uno nomine (1) totum, una et eadem ratione comprehendere? Quid de eo possit affirmari, quod perpetua diversitate labatur et fugiat, et in nihilum abeat? Itaque relabimur in hanc opinionem, quod unum absolute et individuum est solum existere (2), quamquidem ut vacuam et inanem confutavimus.

Subtilis igitur, nec usquam abrupta disputationis ratio, ita ut in hac argutissima disquisitione eluceat ordo at compositio.

Scilicet de metaphysicis positia quæstio est, utrum quod est unum an diversum esse dicendum sit.

---

(1) Plat., *Parmenid.*, p. 160, *a*.
(2) Ibid., p. 160, *b*, *c*, *d*, *e*.

Tres autem philosophorum sectæ non convenienter Platonicæ opinioni responderant. Proinde Plato priores arripit Eleaticos, qui putabant nihil nisi unum esse, ostenditque hanc opinionem ab se ipsam everti ac destrui : in qua, dum perfectissimam existendi rationem inesse volunt ac fabulantur, nihil non vacuum et nihilum est.

Dein, quid ipse sentiat exponit : utrumque, quod unum, quodque diversum existere, et conjuncta necessario esse, et alterum in alterius naturam perpetuo verti et commutari.

Denique, non satis est Eleaticos confutasse : non satis est existere utrumque, quod isti negaverunt. Sed necesse et ea probari conjuncta, non sejuncta existere.

Qui commixta esse opinantur, verum cogitant. Falsum et absurdum, qui sejuncta, Megarici nempe, sentiunt.

Quod multiplex, abstracta unitate, perit : quodque unum, si solum reliqueris, perit : namque res ita ad Eleaticam positionem revolvitur.

PARS POSTERIOR.

Nunc aderunt Heraclitici, quos eodem modo confutare Plato aggredietur. Negant enim esse unitatem : ostendetur autem hæc opinio vera esse si restricte eam interpreteris, sin autem, quam late sensus verborum patet, acceperis, ad id te adigere, ut neges aliquid existere, aliquid intelligi et cognosci posse.

VI

POSITIO SEXTA.

Si restricte ais non esse quod unum et simplex et individuum vocamus, significas esse quædam una, quædam alia non esse.

Ergo si hanc in sententiam interpreteris quod dicitur, unitatem non esse, hæc nostra, quanquam existendi non particeps, unitas, vere est, ac percipi potest ; certisque modis definitur (1), nec in fraudem trahet animum, sed certa scientia

---

(1) Plat., *Parmenid.*, p. 160, *a*, *b*.

capietur (1). Quod non foret, si absolute diceres et toto sensu *quod unum*, *non existere*.

Qua in positione omnia consentanea : scilicet verum est esse quod multiplex et diversum aiunt et ab unitate discrepare (2), propriumque et stabilem et peculiarem in modum existere.

Sin autem aliter interpretabere hæc verba, *quod unum*, *non existere*, utrumque vanescere senties, quod supra diximus (3). Hic, in præsenti positione nostra, utrumque esse dicitur : contraria ambo in se continere, quæ quidem, repugnantia, mutatione continua conciliantur (4) : quod unum, fit multiplex, quod multiplex, unum : quod immobile fit mobile, quod mobile autem immobile rursus evadit.

Sed alium interpretandi modum quibusdam accipi diximus (5) : quod quidem hisce verbis præmonuit Plato, in hac suprema disquisitionis positione :

« Quum dicimus hic aliquid non esse, signi-
» ficamus ne id sensu quodam esse, sensu autem

(1) Plat., *Parmenid.*, p. 160, *c*.
(2) Ibid., p. 160, *d*.
(3) Ibid., p. 160, *e*.
(4) Ibid., p. 161, 162.
(5) Ibid., p. 163, *a*.

» quodam alio non esse? An his verbis significamus id quod non est absolute et omnino
» non esse, nec ullo modo existendi esse par-
» ticeps? »

« Τὸ δὲ μὴ ἔστιν ὅταν λέγωμεν, ἆρα μὴ ἄλλό τι σημαίνει
» ἢ οὐσίας ἀπουσίαν τούτῳ ὃ ἂν φῶμεν μὴ εἶναι; πότερον
» οὖν, ὅταν φῶμεν μὴ εἶναί τι, πῶς οὐκ εἶναι φάμεν αὐτὸ,
» πῶς δὲ εἶναι (1); »

Hactenus, prior interpretatio erat : quod simplex et unum aliqua ex parte, utpote cum multiplici et diverso commixtum et copulatum, non existere affirmabamus.

Nunc, quid altera interpretatione data futurum sit, quæretur.

VII

POSITIO SEPTIMA.

Ponamus cum Heracliticis quod unum dicitur non esse, id est nullo modo (2), nulla ex parte, nequaquam esse, nec posse ulla ratione existendi esse particeps : inde, quam multa nec tan-

(1) Plat., *Parmenid.*, p. 163, *b*, *c*.
(2) Ibid., p. 163, *a*, *b*, *c*, *d*.

tum quod ad unitatem sed et quod ad multiplex attinet falsa et absurda consequuntur.

Quod unum si non est (1), nec erit, nec perire, nec nosci poterit, nec mobile nec immobile fiet (2), nec ullis existendi modis definietur, sive id in seipso consideremus, sive cum cæteris rebus conferatur. Ejus igitur neque scientia, neque opinio, neque sensus, neque definitio, neque nomen erit.

Quid ergo jam superest? Nihil nisi quod multiplex. Hoc autem absque unitate esse non potest (3).

Forsan, adspectu primo, credideris id posse per se, solum, existere; quosque, unitati conjunctum existendi modos habuit abstracta unitate retinere.

Verum si diligentius rem attendas, si animo tecum reputes necesse esse aliquid unum et individuum existere ut omnes quibus constat quod multiplex et diversum diximus partes vere sint, si cogitaveris diversa quæque ex partibus individuis coagmentari, tum intelliges, unitate deleta,

---

(1) Plat., *Parmenid.*, p. 164, *a*, *b*.
(2) Ibid., p. 164, *c*, *d*.
(3) Ibid., p. 165, *a*.

posse negari quidquid in hac positione verum affirmaveris, nec tantum modo quod unum, sed et quod multiplex sit Heracliticos ad nihilum cogere (1).

« Itaque, ait Plato, si nihil unum esse dicetur, nihil neque unum, neque diversum supererit, nemo enim, absque partibus individuis aliquid diversum sibi fingere potest. »

Ἐν ἄρα εἰ μὴ ἔστιν, οὐ δοξάζεταί τι τῶν ἄλλων ἓν εἶναι, οὐδὲ πολλά. Ἄνευ γὰρ ἑνὸς πολλὰ δοξάσαι ἀδύνατον (2).

Id est, nihil jam restat quod vel rebus diversis, in hac Heracliticorum opinione attribui possit :

« Quæque autem propria habere videbatur » quod multiplex vocavimus, adempta unitate, » nec re, nec opinione servat. »

« Ἐν ἄρα εἰ μὴ ἔστι, τἄλλα οὔτε ἔστιν, οὔτε δοξάζεται ἓν » οὔτε πολλά (3). »

Igitur Heraclitici non modo unitatem delent dum se diversitatis fautores declarant, sed et hanc ipsam diversitatem destruunt quam tutari et defendere meditabantur.

---

(1) Plat., *Parmenid.*, p. 666, *a*.
(2) Ibid., p. 166, *b*, *c*.
(3) Ibid., p. 166, *d*, *e*.

« Dici potest, toto verbi sensu, absoluteque,
» nihil esse nisi quædam una sint. »

« Οὐκοῦν καὶ συλλήβδην εἰ εἴποιμεν, ἓν εἰ μὴ ἔστιν, οὐδέν ἐστιν, ὀρθῶς ἂν εἴποιμεν (1); »

His verbis Plato tertiæ opinioni considerationi finem imponit, quam sicut et prius Eleaticorum et Megaricorum scita, absurdam esse comprobavit:

« Sequitur, ait, si quid unum est, quod unumquodque et diversum dicimus omnes existendi
» modos suscipere sive utrumque in seipso spectes, sive alterum cum altero conferas; sin au-
» tem nihil unum est neutrum ullo modo exis-
» tendi particeps nec esse, nec videri posse. »

« Εἰρήσθω τοίνυν τοῦτό τε, καὶ ὅτι, ὡς ἔοικεν, ἓν εἴτ'
» ἔστιν, εἴτε μὴ ἔστιν, αὐτό τε καὶ τἄλλα, καὶ πρὸς αὑτὰ καὶ
» πρὸς ἄλληλα, πάντα πάντως ἐστι τε καὶ οὐκ ἔστι, καὶ φαί-
» νεταί τε καὶ οὐ φαίνεται. Ἀληθέστατα (2). »

Itaque, nisi quam in Parmenide elucere dispositionem ostendemus, ea a nobis ipsis tanquam commentitia fabula, temere sit ficta quomodo contendi possit Platonem in hac disquisitione lu-

(1) Plat., *Parmenid.*, p. 366, *c.*
(2) Ibid., p. 166, *e.*

sisse et inanes nullum ad finem argutiosas spectavisse. Nonne enim easdem res et eamdem fere ordinationem in Sophista Philœboque ac in Parmenide invenire est? Nonne eadem in his scripta et disputata quæ siccius, fateor, et argutius in Parmenide disseruntur?

Nunc demum, si cui dubium adhuc esse videatur Platonem ante omnes ab sophistis aversatum fuisse, at, fidem in eo summam, et dubitationis fugam inesse nos doceant, quæ ipse de scepticis in hunc morem (apud Phœdonem) locutus est:

» Sunt qui in rationis contemptum, sicut quidam in humani generis odium, incidant : quæ » maxima calamitas est. Et ob eamdem causam » illi humanum genus, hi rationem aversantur. » Alterum enim oritur postquam alicui immerito » confideris, et hominum ignarus, quem fidum » putabas, malum et mendacem expertus eris. » Quem in morem si fueris sæpissime delusus, » maxime autem ab his quos tibi amicissimos » ducebas in fraudem raptus eris, humanum ge- » nus oderis, neque ullum jam superesse bonum » fidumque hominem affirmaveris. Cujus tamen » fuit culpa nisi ejus qui se hominibus miscuerit » antequam eos cognosceret.

» Sic ubi aliquis ratiocinandi expers falsam pro

» vera argumentationem duxit, et in hoc sæpe vi-
» tium incidit, ipsam rationem, ipsum intellec-
» tum incusat, nec in se errorem et culpam reji-
» cit, quanquam ipse sit, solusque, vituperatione
» dignus; mox rationem odit, verbisque impu-
» gnat, seque ipsum scientia et veri cognitione
» defraudat (1). »

---

(1) Plato (Phœdon), p. 91.

INDEX.

FINIS.

PARISIIS.— EX TYPIS E. THUNOT ET Ce,
26, via dicta Racine.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. x. kal. august. ann. M DCCC XLIX,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,
J. Vict. LE CLERC.

Typis mandetur,

ROUSSELLE,
Rectoris vices gerens.

41